

## No. 224. 1445. 21. Juli.

*Probst Burkard und das Capitel verkaufen ihrem Mitbruder Lorenz Undirfoit auf dessen Lebenszeit ein Schock Schildgroschen.*

Nos Burckardus praepositus, Michael prior, Jacobus senior totumque capitulum monasterii sancti Thomae apostoli — recognoscimus —, quod — religioso Laurentio Vndirfoit accolito canonico regulari ac confratri nostro iusto emptionis et venditionis titulo ac contractu interveniente vendidimus — redditus unius sexagenae novorum grossorum clippeatorum Friburgensis monetae in et super bonis nostri monasterii antedicti ad suae vitae tempora dumtaxat singulis annis habendos sublevandos et pacifice possidendos pro decem sexagenis grossorum novorum clippeatorum monetae Friburgensis supradictae nobis per eundem Laurentium in prompta pecunia utiliter totaliter et cum effectu persolutis in evidentemque dicti nostri monasterii utilitatem et specialiter pro certis equis ad currum unum comparatis notorie conversis, tali tamen conditione adiecta, quod praepositus de camera sua seu de bonis praepositurae praefato Laurentio super festo sancti Martini episcopi unam dimidiam sexagenam novam ac super festo Walpurgis proxime futuro aliam dimidiam sexagenam novorum grossorum singulis annisolvere dare et ministrare debet —, sive in dicto nostro monasterio sive extra in alio vel alibi degerit, sola apostasia excepta, in quo casu ne sibi detur materia et occasio divagandi huiusmodi census sibi merito debent denegari. Quam quidem sexagenam annui census nos Burckardus praepositus antedictus, usufructum et administrationem saepedicto Laurentio liberamque potestatem cum ipsa ad voluntatem suam pro sui corporis refectioe disponendi damus concedimus et indulgemus, proprietatem tamen praedictorum censuum seu ius proprietatis eorundem nobis et successoribus nostris ac nostro monasterio antedicto reservantes. Ceterum cum praenominatus Laurentius viam universae carnis — fuerit ingressus, dicti redditus unius sexagenae ad — nostrum monasterium libere revertentur. Promittimus insuper pro nobis omnibus et singulis nostris successoribus bona fide, omnia et singula praemissa saepedicto Laurentio rata tenere et inviolabiliter observare. In quorum omnium et singulorum praemissorum evidens testimonium praesentem paginam seu litteram testimoniale supradictorum nostrorum praepositi et capituli sigillorum appensione duximus roborandam sub anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto in vigilia beatae Mariae Magdalenae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die Siegel fehlen.